

Nō veni vocare iustos sed peccatores ad penitentiam. Vocat enim peccatorem ab omni parte sui. scilicet a superiori. ostendendo celum tam pulchrum. et ab inferiori ostendendo infernum tam horrendū. **Prover. xxi. cap.** Celum sursum et terra deorsum. **Secundo** vocat ab exteriori per predicationem et ab interiori per inspirationem. **Prover. i. ca.** Sapientia foris predicat. ecce exterior exhortatio. In capite tubarum clamat. ecce interior inspiratio. Caput enim est mens que habet tres tubas. scilicet cogitationes intentiones et affectus. **Tercio** vocat ab anteriori reducendo beneficia preterita ad memoriam. et a posteriori reducendo ad memoriam dei iudicia futura. **Apo. iij. ca.** Aialia plena oculis ante et retro. **Quarto** vocat modo a dextris dando prosperitatem et modo a sinistris infligendo aliquam aduersitatem. **i. ad Cor. vi.** Per arma iusticie a dextris et a sinistris.

De sancto Mauricio et socijs eius
Sermo primus.

Historum anime in manu dei sunt. et non tanget illos tormentum mortis. **1. Sap. iij.** Ostenditur de istis sanctis quales fuerunt in vita. cum dicitur. Iustorum anime. quales fuerunt in morte cum dicitur. Et non tanget illos tormentum mortis. et quales post mortem. cum dicitur. Illi sunt in pace. In vita quidem fuerunt iusti quia fuerunt positi ut iusticiam facerent et rempublicam conservarent. Ad rei autem publice preservationem quatuor eriguntur sicut dicit **cathe. et aug. lib. v. de ciu. dei.** scilicet quantum ad domesticos magna industria quantum ad forenses iusticia. quantum ad seipsum animus liber in consulendo. et quantum ad seipsum animus nulli obnoxius peccato. Est ergo primum quantum ad domesticos magna industria sicut dicitur. **ij. ad Thimo. v. ca.**

Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet. fidem negant et est infidelis deterior. **Job. x.** Apprehendentes parentes filiam suam osculari sunt monentes eam honorare socrum. diligere maritum regere familiam. domum gubernare. et seipsam irreprehensibilem exhibere. **i. Thimo. iij.** Oportet episcopum irreprehensibilem esse sue domui bene prepositum. **Secundo** est quo ad forenses iusticia **Job. xxi.** Iusticia induit sum. **et. Johan. viij. ca.** Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. **Tercium** est animus in consulendo liberum. ut nec timore nec amore nec odio nec munere a veritate discedat nec veritatem taceat. **Isidorus.** Iustici qui iudices errant in veritate iusticie dum intendunt in quantitatem persone. **Quartum** est ut animus nulli vicio sit subiectus. **Tullius.** Age ne tua oratio tibi contraria sit. quia pondus est ponderis grauiissimi propria voce confundi. **Grego.** Durum est ut qui nescit tenere moderamina vite sue iudex fiat vite aliene. **Ista** quatuor in istis martiribus perfecte fuerant. **Habuerunt** enim domi industriam. **Unde** dicitur in legenda habitatores regionis illius erant callidi ingenio. sapientia locupletissimi. **Habuerunt** foris iusticiam. quia sicut dicitur ibidem. **Que** dei erant deo. et que cesaris cesari reddebant. **Habuerunt** animum in reprehendendo liberum. unde dicitur **Mauritius.** milites sumus imperatorum. serui autem quod libere profitemur dei. **Habuerunt** animum innocentia predictum. quia non se armauerunt armis carnalibus. **Unde** dicitur **Exuperius.** Projiciant dextere nostre arma carnalia. et armentur virtutibus. **Secundo** ostendit quales fuerunt in morte. **Fuerunt** siquidem examinati decimati vallati et cruciati. **Examinati** autem fuerunt de tribu scilicet ut idolis immolarent. ut fide christi desererent. et ut contra christianos perirent. **Sed** ipsi nec idolis voluerunt immolare

nec fidem christi deserere. nec christianos impugnare sed potius defensare. Unde dixit eruperius. Omnia tormenta pro christo scilicet parati sumus et ab eius fide nunquam discedemus. Secundo fuerunt decimati. Reperimus enim decimas rerum que in veteri lege fuerunt instituite. Decimas dieum que a christo fuerunt inueniente quoniam .xl. diebus et .xl. noctibus ieiunauit. nunquam autem reperimus decimas capitum nisi hic. Magnū est soluere decimas rerum. maius soluere decimas dierum. maximū soluere decimas capitum. multi enim darent res suas qui non libenter darent dies suos. et multi darent res et dies suos qui non libenter darent capita sua. Ipsi autem exsoluerunt decimas rerum. quia que cesaris erant dabant cesari. et decimas dierum. quia que erant dei dabant deo. Et insuper soluerunt decimas capitum. Tercio fuerunt vallati sicut oues a lupis. Matthei. x. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Ipsi enim tanquam oues non resistebant. non fugerunt. non balatum murmurationis emiserunt. Unde dixit mauricius. Commilitones nostros sustinui necari. quod vos ad passionem pro christo paratos vidi et domini mandatum seruauit qui dixit petro. Virte gladium tuum in locum suum et cetera. Quarto fuerunt cruciati. in qua cruciatio sic fuerunt firmi. quia nec mundus nec dyabolus nec caro eos nec in vita nec in morte vincere poterant. Mundus enim pro eis in vita pugnabat manu dextera prosperitatis ut alliceret. et in morte sinistra aduersitatis ut frangeret. Sed ipsi et in vita mundum pretempserunt blandientem. et in morte seuientem. Similiter dyabolus etiam pugnavit pro eis manu sinistra impellendo ad vitia. et dextera eos trahendo ad tartara. Sed non potuit ipsos impellere ad aliquod viciū. nec post mortem aliquod inferre supplicium. Similiter caro pugnavit pro eis sinistra qua inducit ad ociositatem. et dextera qua inducit

ad voluptatem. Sed ipsi corpus suum in laboribus excitauerunt et carnis delicias abhoruerunt. Tercio ostenditur quales fuerunt post mortem cum dicunt. Illi autem sunt in pace. Habent enim pacem perpetuam. Isa. xxxij. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis et cetera. Sancti enim isti dant deo magnam gloriam. Nam si vnus peccator qui perficitur christum facit gloriam christo quanto magis isti qui tot fuerunt gloriarum sibi dederunt. Luce. xij. Omnis qui cum confessus fuerit me coram hominibus et cetera. Fecerunt angelis magnam leticiam. quia si angeli letantur super vno peccatore penitentiam agere. quanto magis super tanta multitudo triumphante. Luce. xv. Gaudium erit angelis et cetera. Dant nobis magnam fiduciam. quia si impossibile est non exaudiri preces multorum impossibile est non exaudiri preces tantorum militum sanctorum. Exaudiunt multipliciter. Primo quia solantur tribulatos. Sicut patet in vidua que filium suum monasterio dederat. Secundo quia adiuuant in periculo constitutos. sicut patet in illis qui per lacum reliquias deferebant. Tercio quia corripunt in deuotos. sicut patet in illo clerico qui cum iura sancti Mauricii surpasset et blasphemiam intulisset mala perijt morte.

De eisdem

Sermo. ij.

Sancti per fidem vicerunt regna. Operati sunt iusticiam. adepti sunt promissiones et cetera. Hebrei. xi. De istis beatis martiribus Mauricio et sociis eius quinque ostendunt in verbis premissis. Primo quales fuerunt in personis cum dicitur. Sancti. Est autem sanctum id est quod mundum. quod fenum. quod sanguine tinctum. quod sacro vni deputatum. Isti igitur fuerunt mundi per verbum dei quod receperunt. Iohannis. xv. Jam vos mundi estis propter sermo. quem et cetera. Per fidem quare habuerunt. Actuum. xv. Fide purificas corda et cetera.

E. iij.

eorum per spiritum sanctum quem receperunt.
Ezech. xxxvi. Effundam super vos aquas
mundam etc. Per sanguinem quem effu-
derunt. **Apoca. vii.** Lauerunt stolas suas
in sanguine agni. **Secundo** fuerunt firmi
quod nec promissionibus potuerunt emolliiri. nec
comminationibus detereri nec suppliciis
superari. **Matth. vii.** Descendit pluuia. ecce
promissio refrigerans. et flauerunt venti. ecce
comminatio percussens et venerunt flumina.
ecce tormentum irruens et nihil facere po-
tuerunt quod super christum fundari fuerunt.
Tercio fuerunt sanguine tincti. **Habuerunt**
enim sanguine christi tinctam memorari-
uam per recordationem. **Affectiuam** per deu-
otionem. **intellectiuam** per meditationem. et
operatiuam per imitationem. **Quarto** fuerunt
sacro usus deputati ut hostes vincerent.
republicam preseruaarent. et fidem catholi-
cam defenderent. **Unde** dicit beatus mauri-
cius **Milites** sumus tui imperator. quo
ad primum. et ad defensionem reipublice ac-
tua suscepimus quo ad secundum. **Non** est
in nobis perditio atque formido. sed fidei
catholicae nullatenus deseremus quo ad
tercium. **Secundo** ostendit quales fuerunt
in armis suis. cum dicit. **Per fidem.** Fue-
runt enim armati scuto fidei. **ad Epist. vi.**
In omnibus sumentes scutum fidei etc.
Dicit autem fides scutum. quod sicut in scuto
sunt tres anguli et unum scutum. sic et in
deo sunt tres persone et unus deus. **Vel** quod
ipsa fides est de christo in quo sunt tres
substantie. scilicet caro anima et ipsa deitas et
vna persona. **Vel** sicut scutum ut plurimum
fertur in sinistra parte. sic fides est in sinistra
vita que est pars sinistra. **In** dextera autem
parte que est vita eterna non erit fides sed
spes. **Vel** sicut scutum suscipit primos ictus
hostium. et cetera arma pregit. et defendit
corpus. Sic fides etiam primas suggest-
iones demonum sentit. primas questiones
hereticorum suscipit et ceteras virtutes cus-
todit. et animam defendit ac pregit. **Tercio**

ostendit quales fuerunt in victorijs suis
cum dicit. **Vicerunt** regna. **Vicerunt** namque
regnum demonum hominum et celorum omnium.
Primum vicerunt per resistentiam. **Iaco. iij.**
Resistite diabolo et fugiet a vobis. **Item**
secundum Berni. in anima tres sunt domus.
Prima domus dicitur esse memoria in qua
diabolus vult intrare ponendo ibi malas
suggestionem. **Sed** portarius debet dia-
bolo resistere ne intret qui vocatur proprius sta-
tus consideratio. **Secunda** domus est in-
telligentia. in qua diabolus vult intrare
ponendo ibi prauam delectationem. sed huic
enim portarius debet resistere. qui vocatur
eternae delectationis cogitatio. **Tercia** do-
mus anime est voluntas in quam diabo-
lus vult intrare immittendo ibi prauum
pensum. sed huic portarius debet resistere
qui vocatur eterne pene meditatio. **Secun-**
do vicerunt regnum hominum per patientiam.
Et iste modus vincendi est valde glorio-
sus quod iste fuit modus christi. **Eccles. xxi.**
Magna est gloria sequi dominum qui est
victoriosus. **Seneca** enim ait. **Innumera-**
biles sunt qui populos qui urbes habue-
runt in potestate. paucissime vero sunt qui
in potestate habent seipsos. **Est** etiam fructu-
osus qui ipsius celum vincit et rapit. **Ma-**
thi. xi. capi. **Regnum** celorum vim patitur et
violenti rapiunt illud. **Tercio** regnum ce-
lorum vicerunt per passionem suam. **Quoniam**
autem erant quinque inuincibilia que tamen
isti vicerunt. **Angelum** per lacrimas quas
effuderunt. **Osee. xij.** **Inuoluit** ad ange-
lum fleuit et rogauit eum. **Diabolus** per fidem
quam habuerunt. **i. Petri. v.** **Aduersari**
vestri diabolus etc. **Animam** per magnas
imitationes qua suo cordi dominati fuerunt
Proverbio. xvi. **Melior** est patiens viro
forti et qui dominatur animo suo expugna-
tore urbium. **Mortem** per caritatem qua
inflammati fuerunt. **Canticorum. vii. capitu-**
l. Foris est ut mors dilectio. **Regnum** ce-
lorum per sanguinis precium quod dederunt

De Sanctis

Psal. Preciosa id est precio plena est in conspectu domini mors sanctorum eius.

Quarto ostendit quales fuerunt in operibus suis cum dicitur. **Operum** sunt iusticia. id est opera meritoria per que iuste regnum celorum sibi acquisierunt **Matth. ix.** **Pentem** nam agere. appropinquat. **Quantum** enim hic quis appropinquat deo per opera pie. tantum deus sibi appropinquat per collationem gratie et glorie. **Barth. ix.** appropinquabat qui dicebat **Luc. xvii.** Ieiuno bis in sabbaro. **Ideo** parum sibi appropinquavit deus. quia iustificatus non fuit. nihil appropinquat qui dicebat **Luce. xvi.** Anima habes multa bona. comede bibe epulare etc. **Ideo** deus nihil sibi appropinquavit. quia sue domui salus facta non fuit. **Valde** appropinquabant qui dicebant **matth. xix.** **Ecce** nos reliquimus omnia etc. **Ideo** deus valde appropinquavit eis. quia iudices mundi eos fecit. **Quinto** ostendit quales fuerunt in suis premiis cum dicitur. **adepti** sunt repromissiones. **Ubi** namque fiebat promissio tribus modis. **Aliqui** se mutuo osculando. aliquando manum ad manum applicando. aliquando rem aliquam porrigendo. **Sic** christus vitam beatam nobis datur. promittit. sed osculando quod fuit in incarnatione ubi facta fuit dulcis unio nature divine cum natura humana. **Can. viii.** **Quis** mihi det te fratrem meum. id est tu qui es dominus meus efficiaris et frater meus fugiens vbera matris mee. id est tu qui es in sinu patris mei efficiaris puerulus in sinu matris. ut inueniam te foris. id est tu qui habitas semper in celis visibilis inueniaris in terris. et deosculer te. id est dulcem unio nem nature tue cum mea natura humana percipiam. et iam nemo me despiciet. nec deus sed me sibi reconciliabit. nec angelus sed in magna reuerentia habebit. nec dyabolus sed me valde timebit. **Promittit** etiam manibus suas cruci applicando. **Abacuc. iij.** **Cornua** scilicet crucis in manibus

Cosma et Damiana.

nibus eius. **Promittit** insuper spiritum sanctum nobis dando. **pri. ad Cor. v.** **Dedit** nobis pignus spiritus.

De sanctis Cosma et Damiano.

Sermo primus.

Medici suscitabunt et confortabunt tibi. **ps. lxxii.** **Alia** verba que **apostolus** videt posuisse interrogatiue et negatiue possunt exponi de istis sanctis martiribus scilicet Cosma et Damiano remissiue. et affirmatiue. **Ipsi** namque fuerunt medici corporum et animarum. et multos a diuersis languoribus resuscitabant. ideo dicitur. **Medici** suscitabunt. et hoc non sibi sed deo attribuebant. ideo dicitur. et confortabunt tibi. **De** istis autem sanctis medicis quatuor videnda sunt. **Primo** quales fuerunt quantum ad personam. **Fuerunt** enim quinq; fratres per christi nomine passi. **Sed** ecclesia de duobus principalibus solemnitatibus **Felix** fuit talis fraternitas. quia fuit a parentibus religiosus progenita. **Bonitas** enim parentum sepe est causa multarum in filiis bonitatum. **Crisostomus** super **Matth.** **Uxor**em accipere volentibus dat documentum. quod si ambo parentes ipsius puelle boni sunt. secure accipiat. si vero ambo mali omnino re fugiat. si alter bonus sit. alter malus quid tunc facturus sit timeat. **Veruntamen** si pater est bonus et mater est mala magis debet timere. si autem econuerso minus time re debet. **Est** et ista fraternitas felicior. quia fuit martirio coronata. quia pati per christum est beatitudo magna. **Matth. v.** **Beati** qui persecutionem patiuntur propter iusticiam. **Istam** autem beatitudinem passionis nos habere non possumus triplici de causa. **ut** dicit **origenes**. **Una** ex parte nostri. quia tantam gratiam non meremur ut per christum pati digni simus. **Alia** ex parte dyaboli quia sciens per martirium nos persequi remissionem peccatorum et ad regnum peruenire celorum nobis prestat impedimentum. **E. iij.**

E. iij.